

ORDINIS MEDICORVM  
IN UNIVERSITATE LIPSICA

H. T.

PROCANCELLARIVS  
D. ERNESTVS GOTTLLOB BOSE

ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORD. FACVLT. MED. ADSESSOR  
ET APVD LIPSICOS POLIATER

ACAD. H. T. RECTOR

PANEGYRIN MEDICAM

AD DIEM XXII. APRILIS MDCCCLXXIV.

INDICIT

E T

DE SERI SANGVINIS CONSIDERATIONE IN  
MEDICINA CLINICA ET FORENSI

DISSESTIT.

Physiol.  
259,18.

Physiol. II. 65

14202191214708

# CHARLESWOOD

19980112008187W

- FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION -

HO TO 王道

# ЧАСТОКУМЕДИА

YRALLG 2000 E 11000 312 10000

卷之三十一

丁巳三月廿二日





x dupli in primis parte sanguinem corporis nostri constare, ita quidem omnibus notum est, vt, quod experientia quotidiana in fagine, ex vena misso, idem docet, ea de re dubitationem nemo moueat. Etsi vero rationem seri, ceu alterius partis, ad cruem varii variam esse voluerunt, quod sollicite et fuse declarat HALLERVS<sup>a</sup>), omnes tamen in eo consentiunt, maximam seri partem esse, quod deinde confirmat spontanea secessio, per ignem facta destillatio, nec non morborum diuersorum resolutio. Ex quo simul appareat, fore, vt, quacunque fieri potest, porta leuior haecce massa dimanet et in locis quoque incongruis facile colligatur. Quod quidem aequo per ac praeter naturam contingere multis constat luculentisque documentis, quale quoque ex Cl. Candi- dati dissertatione inaugurali, cui iam praemittitur haec scriptiuncula, habetur, quodque magna obseruationum farra-

A 2

a) Elem. Physiol. Tom. II. Lib. V. Sect. II. §. 4. 8. 25.



farragine olim iam comprobauit PISO<sup>b)</sup>. Quem ad modum vero in fano corpore serosis humoribus limites constituantur, quibus coercentur, quosque egredi sine perturbatione totius machinae nequeant, ita protinus omne in exercendis functionibus tollitur aequilibrium, si quantitate et mole aucti iidem morbos generant, vel eorum iam praesentium vim perniciosa magis reddunt. Hanc autem animaduersionem et clinico et forensi medico necessariam esse iudicamus, idque nunc paucis illustrare libet.

Dum vero seroforum succorum mentionem facimus, ante omnia sciendum est, nos hacce denominatione et mere aquosos, pellucidosque, et eos, quibus praeter ea facilis a calore atque similibus conditionibus concrescendi ineft facultas, complecti, quos posteriores alii lymphaticos appellant, siquidem illi et horum sint vehiculum et vix adeo homogenei occurrant, quin de vtroque genere participant. Etenim ipsa feri tenuitas videtur caufa esse, quae procluem a reliquis faciat secessum, qua ipsum quoque sepe omnibus reliquis humoribus admisceat et immiscat. Nulla praeter ea copiosissimarum, per vniuersum corpus dispersarum, sanguinea est arteriola, quae in eius modi subtiliores ramos non abeat, qui purpuream sanguinis partem aut cruentem, ob angustiam, non admittant, promtius autem tenuer serum non recipiant, et organa, secernendo sero destinata, non efficiant. Cuius quippe rei exempla ita vbiique sunt in propatulo, vt canum, quodcunque demum occurrit, glandula, viscus denique omne suam sero debeat humiditatem, qua metuenda alias disiunctarum partium praeter naturam futura cohaesio et coalescentia praecaeueatur, In tanta itaque seri digni-


b) CAROL. PISO. Select. Observatt. de praeteruisis hucusque morbis affectibusque praeter naturam ab aqua seu serosa collunie ortis. Lugd. Batav. 1714. 4.

dignitate et necessitate mirum videri non potest, qui fiat, vt illud vbique praesens et in oligochymia quoque ex penu reliquorum succorum nihilo minus aliqua semper suppeditetur humidi copia, quae ad mortem vsque iuuandis corporis actionibus sufficiat, quum aliquando tota humorum massa fatiscat sic, vt omnis propemodum sanguis in tenui quasi serum resolutus inueniatur. Sunt quidem alii morbofarum cauſarum effectus, qui magis cogunt et in scilicet filem potius conuertunt tenacitatem succos nostros, nunquam tamen adeo potentes, vt omnino aqueam eorum et tenuem naturam prorsus abolere valeant. Quare, vt nostro faciamus scopo fatis, quo probare admittimur, consideratione seri in omni medicina practica opus esse, ad duo potissimum respiciendum est momenta, ad illius scilicet fontes, et quatenus diiudicandis morbis inferuit.

Sunt autem fontes seri, vbique occurrentes, proxime in singulis partibus, structurae diuersae partium accommodati, ita, vt pro discrepante conformatione seri etiam mixtio et partium accendentium combinatio alias aliasque dotes exhibeat. Id autem non tantum ex curiosiore partium quarumcunque peruestigatione optime noscitur, qua scilicet, vt iam diximus, vasculorum numeroſa proles vbique detegitur, sed etiam ex collecti seri colluuie in variis locis luculenter cernitur. Quodsi enim viscerum et organorum obiter tantum percurrende libeat fabricam, vbique tenui fluidum a sanguine aut vaporis, aut aliquando sub molis conspicuae forma adesse constabit. Quam multos riulos illa in capite nobis offert? Encephalum ita pia matre tectum est et inuolutum, vt illa, ad varia licet loca interiora protendatur, nullibi tamen nisi per vasa arteriosa, nec adeo parua cum cerebri cerebellique substantia cohaereat, quin in recenti, protinus mactato, animali ab illa seiungi queat, atque in utraque superficie humida appareat, vapore nimirum

A 3

aqueo



aqueo illinita. Interna porro durae matris superficies, omnesque eius productiones, quoisque pertingunt ab arachnoidea liberae tunica, solo vapore eius modi seiunguntur. Quibus tamen partibus, vt solenne est, non excernentes tantum eiusmodi canaliculi conceduntur, sed bibulae quoque venulae datae sunt, adeo multae, vt in statu naturali vapor solum concretiones harum tunicarum impeditat, in morbo vero, negligentiore quasi resorptionis opere, collectiones aquarum nocivus efficiat. Septi pellucidi laminas distinctas, quid aliud nisi feri separat ex vasis vaporosa emissio? Quum deinde sapienti naturae auctoris prouidentia varia intus in cerebro caua exstructa sint, ventriculos nominant anatomici, hos quoque similimo vapore humectari videmus, qui distenta eadem quamuis feruare nequeat, quod eius exigua est quantitas, studiose tamen defendit et a morbosa concretione praeseruat. In praeternaturali autem feri coaceruatione ita quandoque replentur, vt ex ventriculis lateralibus ad tertium et quartum, immo diffracta magna cerebri valvula ad medullam spinalem et per illam diffundatur humor, immo in hydrocephalis internis iuniorum foetuum et neogenitorum spinam bifidam reddat et tumorem aliquando circa ossis sacri regionem, extus etiam conspi ciendum excitet <sup>c)</sup>), qui dissectus limpidam aquam fundat. Siquidem emissâ et collectâ aqua in omnibus, ad quae peruenire potest, commode dilabens, locis sedem figit, vt meminerim, inter cerebri gyros illam sic effusam fuisse, vt hos a se inuicem seiunxerit, et vix distantes in statu naturali a se manifesto remouerit, nec non in basi cranii ad medullae oblongatae finem et spinalis originem confluxerit. Tota praeter ea encephali neruosa compages et omnes inde deducti nerui a sero exhalante adeo parum immunes sunt, vt singulo neruorum fasciculo

c) PLATNER Institt. Chirurg. §. 747. \*\*)

❧

culo singulaeque fibrae illum intercedere sit certissimum, idque non supponi sed vere fieri demonstret iterum incongrua seri collectio ibidem eueniens. Nec mirabimur de eo, propter ante adductas caussas, sed ad assensum cogemur, intuentes in nitidum vasorum apparatus, quae ex carotidibus internis et externis, nec non ex vertebralibus et basilaribus concinne adducuntur, et quae plexum choroideum egregie ornant, in quo tum lymphatica vasa obseruata sunt, tum glandulae adnotatae, inter serosorum fontium numerum referendae<sup>d</sup>). Tandem etiam praeter eunda non est tenerrima membranula, quae tubercula ventriculorum varia cingit, subtilissimis vasculis irrigua. Tot itaque in uno viscere concurrunt riuuli, quibus omnibus integris, sanitas partium harum promptissime praestetur, uno vero vel altero impedito aut cursu succi, intus contenti, cohibito, mox stases vel praeter naturales effluxus producantur. Nec pauciores aliis insunt partibus. Si pectoris tantum cauum aliquis sollicitate percurrat, tot ibidem reperiet, quot largus eius ambitus capere vnuquam potest. Pleura namque non constis solum earumque appendicibus cartilagineis superinducta, tum extus tum intus vndiquaque vda deprehenditur, sed in mediastinis quoque et processibus, pulmones occupantibus atque obvolutentibus, et in tegumento dia phragmatis, in singulis fane punctis innumeris pertunditur vasorum exhalantium orificiolis, quippe quae ab intercostalibus, bronchialibus, mediastinis phrenicisque arteriis propagantur, et nocinam arcent, mobilium praeципue pulmonum, accretionem, et attritui molesto resistunt; tam cito autem per haec secretus humor iterum aufertur, vt praeter superficiem, leuiter humidam, in recenti cadauere nec guttula quidem collecta occurrat. Si vero euenerit, vt ea, qua decet, promitudine humor non

<sup>d</sup>) H. RIDLEY anatom. of the Brain. Cap. VII. p. 61. Lond. 1695. 8.



non recipiatur iterum, breui quoque temporis spatio intercedente, magnam collectam quantitatem reperimus, quae maxime difficilia excitet symptomata. Itidem in pericardio clarum est, quod cor paucō irrigat vapore eiusque motum sustentat et iuuat, nimia vero copia affluentis humoris, aut plane deficiente eodem, multum impedit, nec cohaesionem, quae tunc fit, potest arcre<sup>e</sup>). Si tandem ad internam cellulosam et vesicularem pulmonum superficiem attendimus, hic propter perpetuum motum non suspicabimur solum succos, hunc temperantes, requiri, sed etiam ex transpiratione pulmonum, cutaneam fere superante, aeris frigidioris ope clarissime conspicienda, exeuntes illos luculentissime obseruabimus. Quod praeter ea varii morbi, nec raro in pulmonibus occurrentes clausae, aqua plenae, vesicae declarant, alibi vero effusum in pulmones serum, a MORGAGNIO<sup>f</sup>) quoque animaduersum, vberius docet. Quum autem in imo ventre magna viscerum collectio facta sit, inter haec aliqua ob suas actiones debitas motu exerceantur, eadem hic ingruit summa seri secernendi necessitas, quae itaque largissime concessa est omni expanso peritonaeo, quod, iam DOUGLASSIO monente<sup>g</sup>), internam faciem lauem, aequalem et fluido quodam humectatam ybique offert, immo de omnibus etiam eius productionibus valet, quae ad varia viscera extenduntur, quibus externam dicitur tunicam largiri. Quicunque igitur viscerum illorum structuram studiose indagare voluerit, is etiam statim sententiae veritatem perspiciet, qua adfirmamus, in nulla eius parte deesse fontes, serum sup-

e) Vid. Progr. meum de corde villoso. Lips. 1771. pag. X.


f) De Sedib. et causs. morborum Epistol. XVII. §. 19. XXI. 33. XXX. 2. et passim.

g) Descript. Peritonaei. §. 24.

suppeditantes, et aquulam tum extus tum intus effundi eam, quae et humectationi et conseruationi inferuiat: siquidem ventriculus et intestinorum omnium exterior ambitus hac ratione a cohaesione noxiae aut concretio- nis periculo liberetur, et ad decrepitam vsque aetatem liberrimus supersit. Intus etiam eadem viscera gastrico entericoque succo, externa perspiratione maiore, integra persistere et defendi, vt res notissima est, sic non vide- tur vltterius adducenda esse. Sed, quoniam externa peri- tonaei superficies tela cellulosa ambitur, eademque in non nullis locis pinguedinis quoque non paucae quanti- tatem continet, hic aequa ac intus facile feri exhalati nec resorpti moles congeri et morbos collectionibus fauere potest, quum ob huc determinatas quasi et affluentes feri particulas per canales etiam, sero simpliciter feren- do non destinatos, idem sponte secedat, vt in asciticis hydropicisque morbis fit, quibus et nunc adducta caua et singulas fere membranas, colluuiie serosa distendi conspi- cimus. Vteri porro, ouariorumque in feminis molem similiter praeter naturam expandi et explicari obserua- mus. Diuresis deinde quotidiana, quantam feri quanti- tatem ex elaborantibus lotium visceribus ad vesicam vri- nariam deducat et per hanc eliminet, nemini quidem in- cognitum esse reor, eam tamen ob rationem mentionem eius iniiciendam esse censeo, quod euidentissimo exem- plu constet, eam materiam liquidi, et si varie compo- sum sit, in corpore adesse, quae, si retineatur, velociter mala producat multa et incommoda generet atrocias, quae tandem subtilissimo quoque encephalo inimica sint. Exa- men enim chemicum maximam lotii partem aquosam esse monstrat, nec in iis deficientem, qui diu a potu absti- nuerunt, nec peregrinis suum sanguinem inquinarunt potu- lentorum generibus, ex quibus tamen, cuiuscunque generis sint, non nisi aquosae partes ad sanguinem trans- feruntur.

B

Ex-



**E**xterna tandem corporis nostri superficies myriadibus oscularum aperta, quorum **LEVWENHOECKIVS<sup>b)</sup>**, in spatiolo, arenae granulo non maiore, centum et viginti quinque millia adesse statuit, quantum per continuam profundat exhalationem, ex aliis certe multis rationibus noscimus, tum praecipue ex illa graui admodum, qua ob illam, per leuissimam etiam caussam cohibitam, protinus torporem aut grauitatem nasci videmus. Etenim haec adeo tenui ex vapore constat tantaeque subtilitatis est, quae sensibus percipi nequeat, proritata vero a variis caussis in sudore adeo manifesta fit, vt in guttulas abiens per omnem corporis superficiem defluat copiosissime. Si igitur caussa aliqua vel in vniuersum vel ex parte tantum exitum sollennem interceperit, tunc oedematosi tumores aperte eius quantitatem manifestant, id, quod, sicut ab aeris vicissitudine euenire solet, ita a morbis aequa ac ab externis violentiis efficitur, corpore scilicet inde tumido reddito.

Perlustratis hisce praecipuis fontibus ac locis, serofam excretionem habentibus, adiungendae sunt glandulae utique omnes, quarum quidem diuersa natura humoribus etiam differentem indolem tribuit, maxime tamen in segregando sero versatur. Nec eximendas esse arbitramur, quas conglobatas appellant, si quidem, dum transmittunt vascula lymphatica, iis certo aliquam tenuis seri particulam, a se confectam, tribuunt, diluendis sucis accommodatam. Longe minus dubitationis oritur de conglomeratis, quarum, vt in faliualibus omnibus, pancreate et lacrymali, ad quas quodam modo mammarum glandulas referre possumus, excretorii ductus magni perpetuo patent, in quibus etiam tantillum retentus humor inox manifestam distentionem parit. Non infrequens


b) Vid. **BOERHAAV.** Institt. Medic. §. 426.

quens enim est, transpiratione suppressa aut frigore improuide admisso mox parotides intumescere, tonsillas inflari, facta morbi resolutione copiosiorem secretionem fieri, phlegmatorrhagiam excitari, et in coryza per nares multos serosos humores praecipitari. Si ea non est sanguinis dispositio et crasis, qualem fluiditas eius postulat, ad tuendam integritatem corporis, tunc glandulas facillime adjici obstruique perspicimus, vt eas fero non tantum vt vehiculo secernendorum vti, sed in illo ex reliqua massa resoluendo simul occupari appareat, in primis, quod in his etiam secretis humoribus, vti de lotio adseruimus, inueniatur serosa maximam partem constituere.

Sed nec organis sensoriis, quae vix non continuo ad functiones suas aptissima esse debent, deficere debet perpetua seri praesentia. Cuius quidem rei testis esse potest oculus, humoribus repletus, quorum aut mera est, vt in sic dicto aquo, tenuitas, seri sanguinis similis, aut, vt in reliquis, mixta quasi compositio, in quibus autem singulis decens requiritur proportio, si videndi facultas farta esse debeat, copia vero indecens vehementer easdem laedit. Sed, quum intaminata remanere nequeat limpidi humoris natura, ni moueatur iterumque recipiatur, nouis in abscedentium locum succendentibus, vt aequilibrium seruetur, obturatis aut constrictis forte minimis fistulis, abundantia fit, turgenteque oculo hydrophthalmia producitur. In reliquis etiam sensibus ex defectu tenuioris succi, ob inductam siccitatem multum hebetari sensum experimur, eumque redeunte humiditate restitui, eiusque rei rationes tum in vniuerso corpore offendit, vti in magno, a febris excitato, fluida dissipante, aestu, tum in partis specialiori affectione contineri, vt in siccitate oris, gustum deprauante, tubae Eustachianae, auditum grauante, cutis et digitorum,

B 2

ner-



nernorum papillas rigidas reddente, tactum destruente,  
multisque similibus.

Quamuis ex his intelligitur, totum pene corpus nostrum fontibus irrigari, nec quamcunque libet fibram ad actionem quid valere sine fluidi accessu, vt vere sit **ex mente Hippocratis ζύγδων μία<sup>b</sup>**; et si etiam eius modi adest quantitas humoris, quae ad sanitatem sufficiat, in sanguinis tamen massa et latere longe maiorem copiam, et ipsum sanguinem reliquosque succos eam immixtam tenere, quae sponte sua nunquam, a morbosorum vero miasmatum virtute, destructionem efficiente, non aegre exsoluatur, documento sunt ipsorum morborum obseruationes, et deinde remediorum, ad sanguinem soluendum adhibitorum, Juculenti effectus. Putridorum namque morborum, quorum et ad solidorum compagem exsoluendam et ad succos attenuandos immanis vis est, tam infidiosam deprehendimus indolem, vt breuis eorum furor mox fudores copiosos, diarrhoeas colliquatiuas, faliuae ingentem fluxum aliaque excitet, quibus non stunda tantum moles aquosorum humorum, quae vix in corpore praesupponeretur contineri, prolicitur et exturbatur, sed etiam breui temporis spatio corpus ita extenuatur atque exhaustur, vt praeter cutim ossa tantum remansisse videantur et vera in amplis etiam sanguinis receptaculis *κενεαγγεῖος* occurrat. Quae quidem conditio cum variorum venenorum actione coincidit, quibus, in corpus ingestis, totam humorum massam oculi noctu citius resolui patet, vt de viperae mortu, hominem protinus ictericum faciente, refertur, vt deinde alia quoque venena, deleteriis suis effectibus succos aggredientia confirmant. Haec enim eam habent efficaciam, vt succos per quaecunque colatoria expellant, praesertim, si alcalinae vel alias salis rodentis natura imbuantur, quae putre-

<sup>a</sup> Lib. de alimento Edit. Foes. Francos. 1621. fol. pag. 381. 40.

❧

putredinem citam excitet et CARDANO<sup>k)</sup> obseruante, sanguinem in viridem colorem conuertat. Quid autem medicamentis quoque in sanguine diluendo, attenuandoque praestetur, omnes illi norunt, qui in morborum diagnosi et actionibus remediorum dignoscendis debita cum attentione versantur. Hi scilicet optime perspicciunt, diaphoreticis, diureticis, et quibus alterantium nomen est, medicamentis, cohaerentes alias moleaculas sanguinis a se inuicem segregari, vt magna demum tenuium humorum moles ex corpore effundatur, viae vero exfoluantur sic, vt non raro compescenda sit natura, euacuationibus eiusmodi, tandem nocuus et exsuperantibus quasi adsueta. Obstupescimus igitur, hydrargyri virtute in riuitantes, quae, vt ad glandulas saliuales praecipue dirigitur, ita allicit ad haec organa, non innatans sanguini serum tantum, sed ex intimo sinu simul euocatum, et aequa, ac per morbos fieri diximus, corpus succis exhaust, eosque ex reconditis pene latebris expellit, absuendo vinculum, quo reliqua inter se elementa necuntur.

Sicut itaque in statu naturali et praeter naturali haec conditio summam meretur obseruatoris diligentiam, ita nec a medici forensis officio eadem potest separari. Quaeunque enim, externae corporis nostri superficie illata violentia, siue contusionem tantum, siue vulnus aperatum efficiat, siue effluat sanguis, siue sub cute in telam cellulosam emissus, fugillationem producat, siue progressus eius in vasis retardetur, oedemati etiam dat originem. Huius quidem, ratione tumoris eiusque magnitudinis, aliqua occurrit differentia, in vniuersum tamen, ob impeditum motum et accendentem inflammationem, aliquod

B 3

obser-

<sup>k)</sup> Controu. med. Lib. II. Tract. 5. Conf. LINDESTOLPE de Venenis per STENTZELIVM. Francof. 1739. 8. pag. 757.




obseruatur, tunc demum et euidentius et maius, si succi in loco, qui male adficitur, indecentem obtineant tenuitatem, aut nimio febris gradu accedente resoluantur. Porro animaduertendum est, serofos succos, ex suis vasis egredientes, breui nihilo minus mora tam celeriter ac ipse sanguis non corrumpi, partim, quod ex natura sua facilius iterum resorbentur et in sanguinem redeunt, partim, quod sinceriores protinus non fatiscant, quin per multos fontes possunt ex corpore eliminari. Quid? quod, si retineatur aliqua seri portio, tumidamque faciat loci viciniam, ea sane subsequente vulneris suppuratione non solum locum humectabit afflictum, sed reparacioni aut consolidationi etiam inferuet, quod simul cum exstillante sero lymphaticae et conglutinantes adducuntur moleculae. Attamen eius modi tumores, dum necessario debent adesse, a medico quoque forensi tales iudicabuntur, quippe qui laesionis grauitatem non augeant. Ipsa vero humorum peruersa indoles, quae vim naturalem, qua humores solent crasin suam recipere, iam debilitatam significat, collectionibus serosis praeternalibus egregie fauet, et data occasione acceleratur, vt promtius noceat. Hanc autem nosse et perscrutari conuenit, quum illa manifesto doceat, num, qui in laeso occurrunt, effectus caussae violentiae sint, aut alias, simul agentis. Sunt deinde etiam loca studiose secernenda, in quibus seri aliqua effusio contigerit. Pedes enim brachiaque oedematose inflari, adeo magnum vtique periculum semper non infert, quam si in alia caua, ventris nempe singuli, illud egrediatur, nec pauca eius quantitus portentosa est, dummodo, quam adduximus, resorbendi facultas vegeta superfuerit, nec quae statim inflictam plagam occupat, sed quae lente et cum virium vitalium defectu et immunitatione accedit. Hinc in capite longe periculosius serum coaceruatur ac in pectore et abdomine, ex quibus per artem etiam euacuari ex vasis fugiens serum poterit.

Hic

Hic enim mollissimam encephali substantiam aut distendit nimium aut comprimit, et officium neruorum, vitam conseruantum, impedit aut tollit, funestamque laesio-  
nem excitat. Interim necesse est, ne innocentia culpa  
tribuatur, spectare modum, quo symptomata illa ena-  
scuntur. Si laesus aliquis, aut verberibus tantum vehe-  
menter percussus, iam olim torpidus extiterit, de graui-  
tate capitis saepe conquestus, *σκοτωμίαν* habuerit, nec  
capite vulneratus fuerit, is vero post aliquot demum  
dies attonitus subito prosternatur, tunc, si post mortem  
effusa in ventriculos aqua reperiatur, violentae fane  
causae hic effectus adscribi nequit, idque eo minus, si lae-  
sionis aut percussionis gradus leuis tantum fuerit. Si ve-  
ro sanus antea viribusque integer mox, postquam plaga  
corpori inducta fuit, stupidus prolabatur, soporofus ner-  
uisque conuulsus reperiatur, eum, ubi serum in cerebro  
deprehenditur collectum, ab hoc, ceu immediata vio-  
lentiae sequela, mortuum fuisse iudicandum est. Inter  
ea, si exigua tantum fuerit portio, quae et lente coa-  
ceruetur, mortem quidem facere non poterit, ad eam  
tamen accelerandam quidquam conferre, ex concomitan-  
tibus simul conditionibus decernendum est.

Itaque, num ex morbo et sponte quasi, num ex vio-  
lenta causa serum hic illicque confluxerit, maxime per  
anamnestica signa noscendum est, quae ex statu humo-  
rum, vitae genere, diaetae ratione, morbisque prae-  
gressis habentur: quae momenta quoque debent tum a  
medicis, de violentia iudicantibus, tum ab iis, qui rei  
excusationem in se fuscipiunt, attentius considerari. Qui  
potu spirituoso abutuntur, quo humores, coagulata quasi  
lympha in suo retardantur decursu, sicut in genere ad  
feros morbos, oedemata, hydropem proclives sunt,  
ita celerius et difficilius post plagam externam incidunt in  
simillimos. His autem signis, quod omni dubitatione  
maiora non sunt, ea, quae in cadaueris sectione mani-  
festius



festius intelliguntur, adiungenda sunt. Hinc in cerebro, ut supra adnotauimus, luculentiora documenta reperiuntur, si illud vel praeter naturam durum, vel plexus choroideus flaccidus, aut varicosus et, vt aliquoties vidi, hydatidibus obfessus fuerit. Deinde reliqua viscera omnia lustranda sunt, in quibus, si infarctus, obstructiones, tumores, steatomata, abscessus, scirrhi, exulcerationes, carcinomata et similia deprehenduntur, vti seri stafin iuuant, ita denotant, non recentis caussae, mox accendentis, esse, etum esse, sed antiquiori dispositioni originem debere, quae praeter ea leuem afflictionem grauem reddere et superandam alias in lethalem conuertere valeat. Cuncta tamen haec in defendendo delinquente vim habebunt nullam, si ex partium laesarum natura et ipsius laesioris indole sufficienter probetur, vitam cum his diutius subsistere non potuisse: in eo potius casu valebunt certius, si leues laesiones, vt aliquando solent, tanti aestimantur, quae periculo non vacent, iisque tribuantur effectus funesti, qui ex alio riuo promanauerint. Si porro ipsum humorum conditio, ratione spissitudinis, coloris, concretarum molecularum, quae teneroribus innatant, copiae, quae breui tempore colligi nequiverit, collata cum vicinarum partium habitu, a statu naturali iam recessente, sedem antiquiorem hic fixam esse doceat, si tandem declarari possit, in discutiendo oedemate et effluxu seri compescendo adhibita non fuisse ea auxilia, quae resorptionem promouent, e contrario applicata fuisse nocentia, incrassantia et coagulantia humores, si apta incisione, aut quacunque alia operatione chirurgica educiti non fuerint stagnantes humores ex locis, ex quibus per artem prolici poterant: hinc negligentius habitum fuisse laesum aperte cognoscatur, valida ad excusandum reum argumenta inde desumuntur, quae caussam lethalitatis proximam in afflictionem coniiciendam non esse demonstrant.

*admodum*

Alia,

Alia, quae inde consequuntur, iam mittimus. Est enim nobis indicenda solennitas

VIRI  
PRAECLARISSIMI ET PRAENOBILISSIMI  
**CHRISTIANI LUDWIGII,**  
ARTIVM MAGISTRI ET MEDICINAE  
BACCALAVREI DIGNISSIMI,

qui innato virtutis tramiti in addiscendis perficiendisque, quibus se deuouit, scientiis, tam alacriter hucusque in haesit, vt non laudem tantum mereatur, verum etiam spem faciat certissimam, fore, vt maiorem sibi pariat, cuius etiam documentum iure a nobis petiit in honoribus summis medicinae, in eum conferendis. Quid vero praefliterit hucusque ex vita eius, nunc ex more proponenda, patescet:


*Progenitus est hic Lipsiae anno huius seculi quadragesimo nono, die mensis Maii decimo septimo, a patre, cuius nemo sine singulari animi sensu recordatur, quemque et ego ob innumera in merita post-fata quoque patrem veneror D. CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIG, olim Therapiae Profess. Publ. Ordin. Facultatis nostrae Decano perpetuo, Academiae Seniore et Decemuiro, Collegiorum Mai. Princip. et B. Mariae Virginis collega, Academ. Reg. Borussic. Scient. et Societ. Botan. Florentin. Sodale. Societat. Teutonic. Lipsiens. Seniore, viro meritissimo et in exteris quoque terris celeberrimo, et matre REGINA SOPHIA, nata REICHELIA, pia et sexus sui decoribus ornatissima. Quamuis autem optimis hisce parentibus praeter vitam omnia sua debet, illosque felicitatis suae fundamenta veneratur, nec sine incredibili gaudio de graui eorum in se educando adsiduitate, et de solertissima institutione cogitat, quae eximia, ob in-*

C geni-



genitam aliquam corporis imbecillitatem, primis praecipue annis esse debebat, tristem tamen memoriam se recolere ingenue fatetur, nec luctum reprimere valet, quod utrumque carissimorum parentum e viuis erpuit summi numinis voluntas eo, quo maxime desiderabantur, tempore. Tradiderunt illi filium carum instruendum **M E V S E L I O et L O R E N Z I O**, qui in addiscendis primis religionis et literarum elementis ita suo fecerunt officio satis, ut eorum fidem nunc adhuc grata agnoscat mente. Deinde venit in curam **M O R I nostri**, Prof. Ord. Graec et Lat. Ling. qui eum et paterno fere amore prosecutus est, et pro ingenuitate sua per decennium et quod excurrit, tanta duxit cum industria, ut inter maxima Dei beneficia hanc referat adeo sibi proficuam felicitatem. Hoc quippe adiutore et doctrinae christianaee pracepta, litterarum, linguae latinae et graecae, quae in praceptor magnam est, peritiam et philosophiae fundamenta didicit, maturusque fuit redditus, qui anno huius secuti sexagesimo quinto inter ciues vniuersitatis recipere tur, fasces tunc tenente **D. P O H L I O** Fac. Med. nunc Seniore. Neque tunc ab eo secessit, quin ulterius scholas eius philologicas, et philosophicas frequentaret assiduo, simul cum ethicis praelectionibus **P. G E L L E R T I** quo etiam viro sic uti ipsi licuit, ut non priuatis tantum sermonibus, ad quos frequenter admittebatur, ab eo penderet, sed exercitiis quoque scribendi per duos annos fructuose interesset. Matheeos deinde percipiendae caufsa adiit b. M. **R V D O L P H V M**, vniuersam philosophiam et physicam in primis coluit docente **B. W I N K L E R O**, omnemque matheeos ambitum iterum emensus est, praeceuntibus peritissimis magistris, **B O R T Z I O et H A V B O L D O**, quorum quotidianis institutionibus et prorsus singulari benevolentia eam physicarum acquisiuit doctrinarum scientiam atque amorem, ut iam alios docendo easdem se laudabiliter peruestigaste demonstrauerit, in quo fine obtinendo se iuuasse praedicat **R I E D E L I V M**, a quo in arte experientia

menta physica accurate instituendi multum se profecisse profitetur.  
 Praeter haec utilissimae sibi extiterunt praelationes D. ERNESTI  
 qui eum regendo prudentibus suis consiliis, obstrictissimum tenet, a quo  
 antiquitatum Romanarum, archaeologiae et historiae uniuersae co-  
 gnitione liberaliter locupletatus fuit. Sic autem confirmatus scientia,  
 ad medicorum accessit scholas. - Hinc traditum mihi a patre, pro ea,  
 quae a teneris in eum unguiculis erat, propensione, ego in anatome  
 omni et physiologia candidatum instruxi. GEHLERVS vero che-  
 miam, mineralogiam, materiam medicam et artem obstetriciam docuit,  
 POHLIVS eum anatomica scientia et arte cadavera secandi imbuit,  
 PLAZIVS doctrinam febrium inflammatoriarum candide exposuit.  
 Pro amplissima tandem, quae in venerando eius desideratissimoque  
 patre erat, doctrina, praeter beneficia reliqua maximaque id pri-  
 marium accessit, ut omnis theoreticae et practicae medicinae expli-  
 cationem excellentiorem acciperet, nec non perpetuis pene exercitiis,  
 disputationibus, examinibusque tentatus firmior euaderet. Incidit  
 autem tunc in infelicia illa tempora, quo iam morbo, tandem fune-  
 sto, optimus parens confundari cepit, dum in chirurgia et clinica  
 medicina illustranda versabatur. Quicquid ergo harum doctrina-  
 rum supererat, id pertexuit, quod ad chirurgiam pertinet, KAP-  
 PIVS, qui etiam historiam naturalem explanauit, et physiologica  
 anatomicaque momenta repetiendo inculcauit, deinde REICHE-  
 LIVS, matruelis, qui praxeos clinicae explicationem ad finem per-  
 duxit et alia praedicanda benevolentiae documenta in se extare voluit,  
 cui, ut omnibus suis fidelissimis praceptoribus, me interprete gratias,  
 quantum potest, rependit. Defendit deinde anno huius seculi septua-  
 gesimo secundo sub praesidio eiusdem D. REICHELII, in cathedra  
 philosophica dissertationem de magnetismo in corpore humano,  
 et illius anni mense Maii d. XVI. ordine nostro consentiente, baca-  
 laurei honores DIGNE obtinuit, et paullo post consuetas lectiones  
 de



de vſu et differentiā valuularum in corpore humano habuit. Ornatus quoque ineunte anno septuagesimo tertio ab amplissimo ordine summis philosophiae honoribus, magistri docentis iura acquiriturus, conscriptam a ſe diſputationem de aethere varie moto cauſa diuersitatis luminum contra diſſentientes eſt tuitus. Quo factō denuo nos adiit, ſummos quoque in medicina honores petiens, et in examine rigorofo a. d. XXIX Ianuarii huius anni R E C T E r eſpon-dens, caperſſiuit eos adſumendi licentiam.

Hanc ergo nunc promeritam ipſi ego, cui PROCAN-CELLARII munus clementiſſime datum eſt, futuro die Veneris a. d. XXII. Aprilis ſolenni tribuam ritu, poſtquam propriam diſſertationem de hydrope cerebri puerorum, moderante GEHLERO Physiol. Prof. P. Ordin. collega amiciflmo, publice defenderit. Peragam quoque cum voluptate, quae mei ſunt officii, praemiffo ferme, quo nexum medicinae physicae atque oeconomiae doctrinae demonſtrabo.

Ad hanc autem panegyrin, omni, qua par eſt, hu-manitate iam mihi inuitandi eſtis PRORECTOR ACADE-MIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, quippe quae ſplendidior VESTRA praeſentia red-detur, VOS que GENEROSSIſſIMI ATQVE NOBI-LIſſIMI COMMILLTONES, vt eidem frequentes inter-eſſe velitis pro ea, qua VOS intime amo, mentis propenſione oro atque obteſtor. Quod ſingulare fauoris ſpeci-men Ordini meo mihi atque candidato perhonorificum, nos tacito colemus pectore ſemper.

P.P. Dominica Mifericord. Dom. A.O.R. MDCCCLXXIV.

